

Kreis
teinfurt

S 249

1163.

[4
249

Bischof Friedrich von Münster befreit die vom Abt Hildibrand von Marienrode angekaufte Hufe Gising in der Vicht Lohue, Kspl. Schepsdorf, Kr. Lingen, von Diensten und Gerichtszwang.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum facio ego Frithericus, Dei gratia Monasteriensis episcopus, quod Hildibrandus abbas et fratres eius ac sorores in Sanctemariethe servientes mansum quendam in [villa Lon] situm a Bernhardo de Hurstmere et a¹⁾ Marwardi heredibus emerunt, que emptio in placito comitis secundum ius terre coram multis astantibus facta est et banno comitis confirmata. Bernhardus autem supradictus, qui debitum ac ius libertatis super illo manso in beneficio habuerat, in manus nostras reddidit obnixè petens, ut, quod ipse in beneficio habuerat, nos pauperibus Christi iam prememoratis conferre dignemur. Nos vero divine remunerationis intuitu mansum illum ab omni debito et ab omni iure libertatis absolutum fecimus, ita ut nec episcopus neque comes aliquod debitum a possessore vel a cultore eius exigat, nec possessor neque cultor eius aliquod servitium facere nec ad placitum ve[nire co]gatur. Ut autem hec rata permancant, banno nostro confirmavimus et sigilli nostri [impressione] roboravimus. Si quis hec infringere temptaverit, nisi respiscat, [anathemati subia]ceat.²⁾ Actum est hoc anno ab incarnatione verbi M^oc^olx^oiii^o, apostolice sedi presidente domino Alexandro, regnante domino Fretherico imperatore, coram testibus his: Engelberto, Udone prepositis; Bernhardo [de Hurstmere], Godescalco [de Lon], Rudulfo [de Burclo], Fretherico [de Benethem] liberis; Heinrico [de Dulmania], Arnoldo [de Bilrebeke], Gerloch [de Dingeden], Brunone [de Stocheim], Heinrico [de Vehlope]³⁾ ministerialibus et aliis quam plurimis.

Orig. Schrift an einigen Stellen erloschen oder durch Bruch und Löcher unleserlich geworden. Siegel ab. Rückchrift: Eylinek to Loen; Eylinek. IX. Kap. I. 25.

¹⁾ In der Lücke stehen im Orig. zwei unleserlich gewordene Eigennamen. —

²⁾ Die eingeklammerten Wörter sind nicht mehr lesbar und hier nach dem Sinne ergänzt. —

³⁾ Die eingeklammerten Namen sind über den Vornamen hinzugeschrieben.